

diem tot diuersis, Naturæ contrariis, substantiis sese ex-
cruciant, quæ tamen ad artem minus sunt idoneæ, non
secus ac si cornu, lignum, vel lapidem serere conarer, &
ex messe naturale frumentū sperarem: cum tamen fieri o-
mnino nequeat vt ex omnis generis substantiis, quotquot
etiam excogitari possint, solem & Lunam facere queat,
sed ex sola naturarum essentia, à qua res omneis origi-
nem suam sortiuntur, & postmodum per diuersas coctio-
nes in diuersas substantias sese distribuunt. Et hoc modo
res quælibet etiam peculiarem suam in Naturis coctio-
nem habet. Quocirca, si ad veram Chimix artem perue-
nire velimus, laborandum nobis est, non secus ac Natura
ipsa in terræ venis laborem suum perficit.

265. Veteres, præterea, multorum colorum mentionem
fecerunt, utpote nigri, albi, citrini, denique rubri, viridis
aliorumque colorum, quod tamen aliud nihil, quam me-
ra impostura est, qua te seducunt, vt ad alias vias natura-
les te conferre, atque ita in ignorantia hædere necessum
habeas. Veterum enim quidam subtiles admodum fue-
runt, & vnice in eo adlaborarunt, vt sermones sententi-
asque suas tot verbis allegoricis exornare possent, quo
plebei ipsorum intentiones non tam facile possent com-
prehendere.

254.

Quamobrem te iterum atque iterum, tamquam fide-
lis amicus, exhortor, ne te seduci patiaris, cum de nigro
colore dicant, tu itidem nigram substantiam habere vel
sumere necessum habeas, vel vt materia ipso in labore ni-
gra, alba, & rubra fiat. Sed ideo nigri mentionem fece-
runt, quod essentia, primo sub initio, candente corporali
aliquo cum igne sese misceat, quo facto liquor ab essen-

Turk. p.
645.

Propterea dixerunt Ibi loquor, quod futurum splendor, dum
scandit in aëra, non apparet, nisi tenebrosus. Turk. p. 945.